



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCXLI. De Energumento muto liberato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

taceri: priori voluit docere Gratitude, posteriori Humilitatem; ut si Christus, quantum erat in se optasset latere sua Miracula, & neque ab alijs prodigiis saltem nos ipsi non proderemus nostra opera laudabilia ad vanam gloriam aucupandam.

MEDITATIO CCXLI.

De Energumeno muto liberato.

Matth. 9. v. 32.

PUNCTUM I. *Egressis autem illis (duobus cæcis, quibus dictum est in præcedenti Meditatione ecce obtulerunt ei hominem mutum, demonium habentem)* Considera miseriam hujus hominis; Diabolus enim tenuit linguam ejus, ut neque Deo debitas Laudes persolvere, neque Divina ac Spiritualia Colloquia miscere, neque corporis, neque Animæ suæ necessitates proponere, neque in dubijs consilia, neque adversis solatia requirere, neque Animæ suæ morbos explicare, neque alios corrigere, instruere, admonere posset. Utinam non eadem miseriam labores, & dicere cum Isaia debeas. c. 6. v. 5. *Pro quia tacui!* Cum Psalmista verò. Ps. 31. v. 3. *Quoniam cui (Animæ meæ morbum ex adulterio & homicidio contractum) in vetera verunt ossa mea, dum clamarem ta ta die. id est: infirmata & quasi senio debilitata ossa mea per continuam inclamationem veniæ & auxilij pro reparatione damni, mihi ex dissimulatione & taciturnitate meorum peccatorum, & mei miseriam statûs orti. Cura ergo, in omnibus prædictis à mutuo dæmonio liberari. Magis autem cave, ne in illis*

sis mutus, & in alijs nimis sis solutæ linguæ, scilicet ad
 murmurandum, conquerendum, confabulandum,
 detrahendum, gloriandum, contendendum &c. Au-
 di Ecclesiasticum c. 20. à v. 5. *Est tacens, qui invenitur
 sapiens: & est odibilis, qui procax est ad loquendum. Ho-
 mo sapiens tacebit usque ad tempus; lascivus autem & im-
 prudens non servabit tempus. Qui multis utitur verbis, læ-
 det Animam suam.* Audi etiam S. Paulum ad Ephes. 4.
 v. 29. *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si
 quis bonus ad adificationem Fidei, ut det gratiam audienti.*

PUNCT. II. *Et ejecto dæmonio locutus est mutus, &
 miratæ sunt turba, dicentes: Nunquam apparuit sic in Isra-
 èl. Pharisei autem dicebant: In principe dæmoniorum
 eijcit dæmones.* v. 33. Tria hic documenta accipe. 1.
 Ut Malevolorum obtreccionibus de rebus tuis præ-
 clarè gestis patienter feras, memor, quidquid egeris,
 semper fore, qui sinistrè de te, dictis, & factis tuis lo-
 quantur, & bene acta malè interpretentur. 2. Ne
 aliorum laudem eleves; quasi tibi decedat, quidquid
 laudis de Sipientia, Doctrina, Virtute &c, alijs ac-
 cedit. 3. Ne, sicut Pharisei expulsionem dæmonij,
 Christi Honori debitam, principi dæmoniorum at-
 tribuerunt, sic tu laudem ex dictis præclarè, factisve
 tuis redundantem tibi attribuas; soli enim DEO debe-
 tur Honor & Gloria.

PUNCT. III. *Et circuibat JESVS omnes civitates,
 & castella, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evan-
 gelium Regni, & curans omnem languorem, & omnem in-
 firmitatem.* v. 35. Ecce, non obstante ingratitude,
 sinistris sermonibus, & gestorum iniquis interpreta-
 tionibus, quantum vis eæ à Phariseis, Sipientiæ, Do-
 ctrinæ, Sanctitatisque æstimationem apud vulgus
 habentibus

64 *Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum.*

habentibus, hinc & aliàs frequenter proficiscerentur
minimè propterea desinit Christus à functionibus
Officij, & Beneficijs præstandis. Sic nec tu desista
à laboribus & pijs operibus, etiamsi homines
non agnoscant, sed malè lo-
quantur.



MED